

DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA  
D E  
C R E T I N I S M O,

quam

Consensu et Auctoritate  
EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI  
DOMINI  
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,  
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI DECANI,  
nec non  
CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM

pro

DOCTORIS LAUREA

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGI-  
TIME CONSEQUENDIS

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VINDOBONENSI

publicae disquisitioni submittit

*Antonius Mally,*

Styrus Marburgensis.

---

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus  
die Mensis Julii 1830.

---

VINDOBONAE,

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

ILLUSTRISSIMO AC HONORATISSIMO

DOMINO

FRANCISCO NOBILI

A

R E Y E R.

VIRO

DE REBUS MERCATORIIS MERITISSIMO,  
SCIENTIIS, HUMANITATE AC VIRTUTE

AEQUE INSIGNI

IN PERENNIS OBSERVANTIAE VENERATIONIS AC  
GRATITUDINIS MONUMENTUM SACRAS VULT HAS  
SCIENTIARUM ACADEMICARUM PRIMITIAS

gratissimus  
Auctor.

## Praefatio.

Tantum abest, ut exiguas hasce paginas cum praestantissimis doctissimorum virorum operibus, quorum indefessis studiis atque laboribus contingit arcanum, quod natura tenebrioso sinu abditum recondit, penetrare, et quantum quidem homini licet, intueri, comparandas esse putem, ut mihi potius persuasum sit, me novi nihil, nihil inauditi proferre.

Quae igitur proferentur, eo consilio dilecta sunt, ut et legi academicae, quae gradus medici candidatos materiam aliquam ex ubere medicinae penu depromptam publice tractare jubet, satisfaceret, et ut ea, quae universim circa rem, quae jam olim attentionem meam in se converterat, atque in specie circa miseros Styriae et Carinthiae patriae, quos vocant Cretinos, observata tenerem amicis lectoribus offerem. Verum enim vero spero atque confido fore, ut a tirone re-

rum medicarum, quarum quanta sit copia, quamque explicatio difficilis in confesso est, haec collata esse meminerint, et quae ipsis manca atque rebus minus congrua videbuntur, tum demum magis perfecta et accuratius determinata desiderent, quum, si quidem datum erit, densas, quae tironem hoc naturae mysterium spectare prohibebant, caligines aliqua saltem parte laetus dissipaverit.

Sed ut ad rem accedamus, in proponendo Cretinismo, qualem saepissime observandi data mihi occasio est, hac fere via incedam: primum conabor et corporis et animae Cretinorum imaginem exprimere, nec non diversorum, qui occurrunt, graduum rationem habebo; tum qualitates physicas locorum, quae potissimum adamavit, secundum veritatem et quantum in me erit, clare depingam; dein utrum Cretinismus endemicus, an hereditarius sit morbus? statuat; auctores denique, quos consului, suo quosque loco citabo.

---

## Introduction.

---

Tametsi *Cretinismus* jam antiquissimis temporibus, aequae ac hodie faventibus circumstantiis occurrisset, nemo dubitat, tamen ea, quam meretur, attentione indignum visum fuisse inde probabile redditur, quod a veteribus naturae scrutatoribus, qua morbus singulari tractatus non sit. Recentioribus tandem, ac nostris demum temporibus paucis quibusdam viris, quorum doctrina robore palliata industria abditissima naturae mysteria scrutatur, placuit in miseris quoque Cretinis cogitationes suas atque studia collocare. *Ackermann, Foderé, Jos. et Car. Wenzel, Iphofen, Cel. Professor Knolz*, labores atque conatus suos scrutando Cretinismo consecrarunt, ex quorum operibus plena doctrinae et eruditionis praecepta haurire licet. Horum tamen iudicia circa eam rem discrepant, quum alii Cretinismus sui generis morbum endemicum, alii hereditarium, alii conatum esse autument, in eo tamen omnes fere conve-

niunt, quod Cretinismum a morbis animi stricte tabilibus separent, cum quibus a veteribus confusus esse videtur. Verum et nostri aevi Clariss. *Haase* summum fatuitatis gradum Cretinismum vocat \*).

Attamen qui physicam et psychicam Cretinorum indolem et ipsam morbi aetiologiam consideraverit, illius non fugiet intellectum, singularem huic ac proprium in systemate pathologico locum assignandum esse. Cui tamen classi et ordini inserendus sit, non nisi perspecta illius natura decidi poterit.

Alii alias de hac re sententias protulerunt; itaque *Ackermanno* Cretinismus rhachitis est, quae cranium in genere, in specie basim ejusdem impetit, atque adeo deformat, ut cerebrum debite evolvi nequeat; inde igitur est, quod eum reproductionis morbis accenseat. *Foderé* Cretinismum in conata cerebri duritie; *Malacarne* in deformatione cranii radicum putat, unde in cerebrum, medullam spinalem et nervos vitia redundent \*\*), *Jos. et Carl Wenzel* pro causa proxima Cretinismi morbum quemdam universalem habent, qui autem non est rhachitis, sed malum aliud hereditarium, in hujus vero ulteriori determinatione haesitant.

\*) Dr. W. A. Haase über die Erkenntnis und Kur der chronischen Krankheiten des menschlichen Organismus B. II. S. 356.

\*\*) Ricardi della anatomia chirurgica etc. Raccolti de Vincenza Malacarne Saluzzero etc. Padovae, 1801 articulo IX.

*Iphofen* in dijudicando Cretinismo magis ad rationes dynamicas respicit, cui debilitas vitalis fundamento sit.

Verum illa, ut acuta sint, explicando huic naturae mysterio non sufficiunt, nec difficile est intelligere, quantis dubiis praemantur. Nos tamen non ea audacia sumus, ut involutum ac implicatum hunc nodum, cui versatissimi in medicina viri solvendo impares fuerunt, temere dissecturos profiteamur. Quapropter decidenda hac quaestione supersedebimus, et ea tantum, quae profundiarum *Styriae* et *Carinthiae* vallium cretini incolae corpore et animo spectanda obtulerunt, breviter exponamus.

### Corporis Cretinorum imago.

Omnium igitur primo imaginem cretinorum physicam naturae congruam delineare operam navabo. Quum autem mihi nunc deficit tempus, quod requiritur, ut accurata et acquisita anatomica cretini descriptio reddi possit, et quum mihi proposuerim serius, si otium concedit, fusius de hujus morbi causa et natura agere, in hisce pagellis externa tantum cretinorum signa depicturus sum. Cel. *Foderé* in tractatione sua scientifica de Cretinismo sex usque septem ejus numerat gradus, et nimis subtiles proponit subdivisiones, quin et ipsum, vix ullo Cretinismi signo notatum hominem, cretinis adnumerat.

Formam descripturi sumus cretinorum, quos frequentissime in Carinthia et Styria videre licet, ubi raro summus, sed potius medius Cretinismi gradus obvenit, et possumus tales infelices *Semicretinos* denominare.

Insigniuntur in Carinthia nomine vernaculo: *Zofern*, *Zosten*, *arme Hascher*; in Styria: *Troteln* et *Zosten*; in Austria: *Talken*, *Lappen*; in terra Tyrolensi: *Totteln*; in Salisburgensi: *Ferren*; in Württembergensi: *Lallen*. Si vero Cretinismus est maximi gradus, tum vernaculo nomini, ut saltem in primis duabus harum provinciarum mos est, additur vocabulum: *ganß*.

Neosati, in quibus Cretinismus sese explicat, caput solito multo minus habent; nonnunquam hydrocephalo vexantur; eorum corpus est spongiosum, brachia tumida. Aër atmosphaericus in aliis infantibus moleste agens, eorumque lacrimas facile movens, hos non adficit, et clamore rariore minorem sensibilitatem exprimunt. Difficulter sugunt, tardius manifestatur loquela, et aliis integris jamjam pronuntiantibus verbis, hi infelici nonnisi vocalis absque consonantibus clamore edere conantur, et sic in cretinis gradus altioris, loquela, vix ita dicenda, per integram constat vitam. Aetate, ubi pueri sani propriis manibus cibos avidè ori admovent, languor et torpor hoc denegat cretinis, et multo prius fame pe-

rimerent, quam quod proprio motu nutrimenta assumerent, usque ad decimum aut decimum secundum annum ea a matre masticata, vel cocta porrigi sinunt. Continuo somnolentos solummodo fames nimia ex quiete segni excitare valet. Cranii, cum reliqui corporis incremento haud pari passu incedit; est illud angustius, modo vertice planum, modo conice acummatum, partim a posteriore ad anterius, partim ab uno latere ad alterum pressum, et ut uno me exprimam verbo: *formatio ejus tota est irregularis*. Id quod autem constanter deficit, est tuberositas ad os occipitis, ita, ut paries ejusdem ascendens cum processibus condyloideis angulum formet rectum, unde et spatium pro cerebello nimium angustatur; praeterea omnes cretinorum anatomì in eo consentiunt, quod praecipuae et notatu dignissimae degeneraciones ad basim cranii, et imprimis ad sellam turcicam detegantur. Cerebrum ipsum corticali sua substantia praevallet medulari, sinus ejus omnes ampliores conspiciuntur sanis. Frons est angusta, depressa, apud nonnullos quidpiam concava aut plana, tubera frontalia vix cernenda, sinus frontales valde evoluti. Facies fere quadrata, compressa; oculi nunc profundius in orbita reconditi, nunc prominentes, ceterum parvi languidi, fixi, ac de aliqua re stupefacti; nasus obtusus, ossa zygomatica prominentia, labia tumida, lingua brevis et crassa; dentes in utraque maxilla a se invicem magis distantes, et

nigrescentes vel viridicantes sunt a tartaro accumulato; maxilla inferior et in specie ejus anguli ad typum majorem formati. Collum breve, et ad plurimum struma majore minoreve deformatum; sed bene notari meretur, *strumam non ad characteristicam Cretinismi signa, nunquam deficiente, pertinere*, cum et saepe saepius, uti in Carinthia et Styria cretini plures carente struma, et nonnisi collo crasso occurrant. Sunt etiam in istis provinciis regiones, ubi struma endemica, et maximae magnitudinis conspici licet, et tamen incolae neque cretini sunt, neque eorum mentis functiones aliquid detrimenti capiebant. Pectus angustum est et planum; ejus glandulae multum saepe evolutae; brachia nonnullorum brevia tumidaque, aliorum et longa, dependentia, emaciata, digitis longis provisae. Abdomen extensum, inflatum, imprimis autem hepar grande est, et ad reliquum corpus nullam sistit proportionem (*ut in foetu, cujus vita vegetativa superat animale*). Nervi organici vegetatiōi dicatis prospicientes crassi, et ganglia tumida sunt. Crura tenuia musculis flaccidis moventur; genua antrosum versus inclinata; tibiae vel ex-vel introsum curvatae; plantae pedum amplam praebent basim. Nec corpus erectum tenere valent, et illud potius ad anteriora et modo ad hoc, modo ad aliud inclinat latus, quod luculenter torporem muscularum, et voluntatis defectum demonstrat.

Cretini serius pubescunt, tunc vero genitalia magnitudinem notabilem accipiunt, et utrumque genus libidini obnoxium, onaniae plerumque inservit, fluxusque menstruus sat largus est. Nunc cretinus tarde incedere incipit. Incessus est incertus, languidus, titubans et videtur truncum cruribus praepondere; unde et haec vix extendere et cretini gradus altissimi nec stare, nec meare possunt. Color cutis in junioribus est pallidus, flavicans et luridus, in aetate provectoribus brunescens. Calor est inferior sanis; pulsus vacuus et segnis tangitur; respiratio autem lenta, difficilis, profunda, stertens observatur.

Voracitatis nimiae sunt, et digestio iis est optima, cibos omnis generis, etiam crudiores absque damnis posthumis avidè degurgitant; excretiones iis liberae quasi involuntariae emittuntur. Coenestesis et sensibilitas eorum profunde depressae, unde neque frigus, neque aestum, neque insecta molestia fugiunt, et insensibiles manent erga verberes, aliis intolerabiles. Surdi atque muti nonnunquam sunt; semicretini autem, ut in patria mea plurimi, barycoia tantum laborantes, dici merentur; loquela est balbuciens, lenta, verba vix intelligenda. Senectus tandem morti eos tradit; morbis acutis raro, saepius autem chronicis uti: scrophulis, hydropi, scorbuto etc. succumbunt, et ulceribus pedum, ac aliarum corporis par-

tium scrophulosis, herpeticis, fistulosis, carcinomatosis, phagedaenicis torquentur.

### Mentis et animi Cretinorum imago.

Quum cretinorum corpus tam miserabilis conditionis sit, animae facultates multo magis inferiores sunt. Quodsi psychicam consummati cretini indolem spectes, ea vero indigesta moles est, prisci chaos dixissent mortales, quam densissima nox obscuraverat, nullo coruscata splendore. Qui ad imum gradum depressi sunt cretini, nullas plane altiores animae facultates manifestant: destituuntur intuitionibus quippe, quibus suggerendis organa sensuum exteriorum inepta sunt: inde imagines, ideae nullae; memoria summe infidelis, tardissima, quapropter reminiscentia vix ulla, imaginatio nulla; intellectus debilis, concipiendi, judicandi impos; ratio ipsa, quae praestat omnibus, profundo somno obruta dormit, torporque impedimento est, quominus munere suo fungatur, aut omnem ejus activitatem penitus tollit. Voluntatis in cretinis exigua indicia, ut qui nonnisi gratis aut ingratissimis sensationibus determinantur. Grata autem tantum illa sunt, quae voraci gulae adrident, veneremur, torpenti inertiae favent; fame contra et omnibus, quae cum motu voluntario fieri oportet, in malis ducuntur, unde praeter gaudium et iram, nullos noscunt affectus. Hanc, furiosi humi se volven-

tes, spumantes, clamantes, faciei lineamenta distortentes ostentant, illud subridendo prodere solent. Cum itaque ira tantas movet turbas, omnia organismi systemata in se ducentes, necessario et fortiores et magis permanentes impressiones relinquere oportet; ergo et cretini eos, a quibus offensi sunt, longiori tempore odio, eoque non raro vehementi prosequuntur. Cretinos gratis impressionibus minus afflicti, inde colligi posse videtur, quod in benefactores nullo grati animi sensu, nulla parentum pietate, nulla propinquorum cura moveantur. Aliorum res neque secundas, neque adversas curant, suas, quasque, si summas corporis necessitates excipias, negligentes.

Hanc tamen animae imaginem in illis tantum observabis, qui ad imum miseriae gradum depressi sunt; in nostris autem cretinis multa desiderabis, quippe qui non omnibus animae facultatibus destituti, ad varia, si prudens accedat, imperium, ministeria adhiberi utiliter possunt. Licet intellectus eorum iners, quasi torpeat; licet nonnisi fortioribus rerum exteriorum impulsibus moveantur, licet nulla liberi arbitrii, nulla perspectae veritatis indicia manifestent, licet ipsa haec inertia impedimento sit, quominus in res externas animum advertant, licet voluntas omnino fere robore careat, licet otium ambabus, ut ita dicam, manibus amplectantur; memoria tamen tantum abest, ut penitus destituantur, ut nonnulli *semicre-*



*tini* sat tenaci polleant, nec omne iis iudicium abnegarem, quum sane de rebus quotidianis saltem, et communibus haud ineptas sententias ferant. Inde etiam est, quod a nostris civibus ad varios saepe labores utiliter adhibeantur. Obstinatam tamen eorum pervicaciam nullus altioris indaginis sensus, nulli gloriae igniculi, sed vix minantes vultus, aut imperantis severa domini verba movent; in dominos tamen manifesto quodam grati animi impulsu feruntur.

Ceterum morosi ut plurimum, nullo fere gaudio mulcentur, sed ira saepe agitantur feroci, ita, ut ne dominis quidem parceant, nec illis, a quibus beneficiis cumulati sunt.

Quae corpore et anima cretinorum sensibus offeruntur; cranium, in basi praecipue deformatum, cavitas, recipiendo cerebro inserviens, angustior, corticalis cerebri substantia medullarem praegravans, tum physiologorum omnis temporis communis observatio asserens, animae facultates cum perfectione cranii, praesertim cum medullari cerebri substantia pari ratione fere semper se habere, ostendunt mentem eorum, eidem protypo divino similem, in functionibus tantum suis obstaculis quibusdam organicis impediri, quominus rite absolvantur. His etiam illud est argumento, diathesi cretinorum corporea, mutatis rationibus externis, emendata, pari etiam ratione mentis functiones expediuntur.

### Conditiones physicae earum regionum, in quibus Cretinismus dominatur.

Quum hucusque cretinos quoad corpus animamque noscamus, ad patriam eorum transimus, ut ex ejus Descriptione innotescat, quaenam potentiae nocentes miserrimum huncce morbum, in genus provocent humanum.

Quicumque in regionibus montosis et terris planis iter fecerit, certe sibi persuasum habuerit, tantas differentias inter incolas alicujus provinciae non nisi occurrere in iis, qui regiones montosas inhabitant. Causa in eo posita est, quod plane in his locis potentiae externae, in corpus humanum agentes, ad exiguam circumferentiam, tam valde et frequenter variant. Hic enim locorum est, ubi procerus, sanus, vegetusque montis incola, a cretino, corpore et mente defoedato, vixque imaginem humanam referente, angustis limitibus separatur; nec deficiente ratione ex domicilio elevato, aërique puro obvio, quamquam minus fertili, animo evecto in depressam, inertem etsi frugiferrimam despicit vallem.

Operam itaque dabimus depingendis cretinorum infelicitum habitationibus ita, ut in Carinthia et Styria oculos nostros feriebant; et cum ejusmodi loca non nisi differentias minimas inter se offerunt, ex descriptione nostra licebit concludere ad valles profun-

das *Helvetiae, Pyrenaeorum, Pedemontiorum, Sabaudiae, terrae Salisburgensis, Tyrolensis etc. etc.*

*Cretinismus sibi sedem ponit in angustis, profundis, a ventorum perflatu defensis vallibus, in quibus aër atmosphaericus, ob magnam fluentium, stagnantium et a montibus praecipitibus ruentium aquarum copiam, vaporibus oneratur aquosis; per aestatem calor ardet, et solum argillaceum est.*

Jam *Hippocrates* nocivum, quem aër, aqua et terra, a norma abludentes, exserunt, effectum exponit\*); et nos quoque ostendemus ab his tribus sanae vitae conditionibus, endemicas hujus morbi causas constitui. *Valles*, in quibus *Cretinismus* suos profert fructus, sunt angustae, quarum circumferentiam facile per dimidiam horam permeas; in omni parte inclusae sunt montibus, ex stratis schifrae aluminis ac argillae, sibi incumbentibus, conditis, mediae altitudinis, in quibus densae, et vix penetrabiles silvae, pinis pi-ceis divites, virescunt, aut nudaе stant rupes. His prominent grandia saltuum culmina, quorum horrida, albidaque capita per multa jam secula in vallem despiciunt. Haec a natura ipsa exstructa valla et atrocissimum ventorum impetum repellunt ita quidem, ut hic locorum raro perflans percipiatur aureola; hinc

\* ) Liber de aëre, aquis et locis.

aër stagnat, et effluviarum, quibus gravatur, neque dissipatio, neque permutatio et assimilatio obtinet, et diuturna haec aëris quies dynamicum simul illius inducit languorem.

*Lucis* accessus est denegatus, et solum fervidus meridiei sol urentes in vallem mittit per aestatem radios, caloremque diffundit vix tollerabilem, qui, ardentibus petrarum parietibus nimium adaugetur \*). Montes aeterna glacie obducti perennem suppeditant aquarum fontem, quae rapida deorsum feruntur vi, et, sese de rupibus praecipitantes, pro parte in aëre dissipantur, eumque jam in stratis superioribus aquosis gravant vaporibus. Rivi autem, profundas has valles in omni directione lento proserpentes cursu, lacus paludesque formant; hinc non mirum, quod, propter harum aquarum evaporationem, vallem undique nebulis densis et sempiternis obductam videas, eaque altiorem montem ascendenti, tamquam amplum vaporibus et nebulis fluctuans mare, per maximam diem partem, adpareat; id, quod vernali, autumnali hiberno praeprius obtinet temporibus.

*Superius telluris stratum* constituit humus, quam terra argillacea, parca tantum terrae calcareae et siliceae copia mixta, excipit; sed eo magis abundat

\* ) Ab *Haller* hunc immoderatum calorem in angustis vallibus, praecipuis *Cretinismi* causis adnumerat.

magnesia, acido sulfurico in salem, aqua facile solvendum, commutata.

Hinc aqua, qua incolae utuntur ad bibendum, cum alumine, cum sale amaro et aliis in aqua non solvendis terris, et substantiis putrescentibus chemice unita et onusta invenitur \*). Quum dein in hisce vallibus campi tam copiosos et bene elaboratos fructus cereales, arbores horeos proferant, prata gramine denso, magnoque laete virescant, ferae et animalia domestica corpore valido et bene nutrito gaudeant, natura magis vegetativae, quam animali vitae prospexisse videtur, quod et in incolis, ut prius adfirmati sumus, eadem ratione se habet.

### Cretinismus morbus hereditario-endemicus.

Roges quae sint causae remotae Cretinismi? Si quis profundas valles, quibus Cretinismus proprius est, attento oculo lustrabit, plures potentiae sese offerent, unitis viribus degentem ibi hominem nunquam non impugnant. Quamvis igitur sanus ex matris utero prodit, tenellus tamen nocivum illarum potentiarum influxum non experiri non potest, quo

---

\*) Injuste Cretinismi culpae nonnulli accusant aquam glaciam; nam constat in montibus, ubi aqua, quam homines hauriunt, sub tegmine glaciei profluit, nullos inveniri, qui isto infelici morbo plectuntur.

ei metamorphosim inducunt, qua vita animalis, vita vere humana collabefactatur ita, ut processus vegetativus praevaleat. Unde factum est, ut quidam (*Foderé, Ramond de Carbonières, Jos. et Car. Wenzel*). Cretinismus pro morbo hereditario; alii vero (*Ackermann, Iphofen*) acquisito habebant; Cel. Profess. *Knolz* eum sub certis circumstantiis hereditate propagari, in profundis vero vallibus acquiri posse autumat. Atque pro hacce opinione, quod *Cretinismus in profundis vallibus non solum acquisitus, verum etiam hereditarius fit*, plurima sane, et gravissima argumentorum pondera loquuntur.

Cretinismus enim est morbus, qui per universum corpus humanum diffusus, cuncta ejus systemata et singulas organorum series, eorumque partes deformat, iisque talem metamorphosim morbosam imprimit, ut foedissimae hominum imagines exprimantur; si hoc verum, de quo facile quisque convincitur, tunc supremae omnis generationis legis recordamur, quae sic sonat: *Generatum a generante non solum vitam, sed omnem etiam vitae modum, totius igitur formationis ulterioris typum et omnis efficientiae rationem repetere.*

Hinc nisus plasticus, qui proprio, in quo viget corpori ad normam perficiendo et servando impar est, neque novo, quod gignitur, germi organico evolutionis legitimae typum imprimere poterit; sed

huic potius, qua laborat, diathesim morbosam, plus, minus conspicuam communicabit \*)). Veritatem autem hujus legis experientia quotidiana luce clarius demonstrat. Videmus enim habitum scrophulosum, rhachiticum, arthriticum, phthisicum, apoplecticum descendere ex patre in filium, ex filio in nepotes. Cur igitur Cretinismus, vel saltem dispositio ad illum, ex parentibus cretinis in eorum suboles transferri non posset? Rem autem ita se habere experientia quoque sat luculenter evincit.

Sic Cel. Prof. *Knolz* in ejus egregio tractatu de Cretinismo, familiam describit, cujus membra vix non omnia Cretinismo, et quidem ad gradum altiorum et altissimum adfecta fuere. Locus natalis hujus familiae, ut et ulterioris habitationis, et quidem per viginti sex annos, haud procul ab urbe Salisburgo situs erat, qui aquam qualitatis optimaee largiebatur, ventisque ex Oriente et Meridie flantibus liberum meatum concedebat. In Carinthia et Styria saepe saepius occasio data mihi fuit observandi Cretinismo notatas familias in ejusmodi regionibus, in quibus natura alias hominem ad typum altiorum condit, ipsaque struma nonnisi raro invenianda est, ac mihi quaerenti, cur hae singulae solummodo familiae Cretinismo premerentur? responsum semper fuit: istas in regio-

\*) *Ph. C. Hartmann* theoria morborum §. 212.

nes has venisse, ex illis vallibus profundis, in quibus Cretinismus qua morbum endemicum observavi; interrogati simul addiderunt: existis parentibus cretinis, postquam domos suas hic posuerant, nonnisi cretinos descendisse. Etiam convictus sum, qualitates laudabiles climatis effectus praestantissimos in istas exseruisse; morbus enim in filiis ad gradum minorem, ac in ipsis parentibus evolutus erat, imo in nepotibus vestigia sat obscura ejusdem habitus cretinici, in avis valde evoluti, detegenda sunt.

Et *Foderé* contendit, Cretinismus, si rationes certae favent, multum emendari, affirmans autem simul, istud minus dependere a qualitatibus climaticis, summum certe influxum habentibus, quam a connubio cum subjectis vel minus cretinis, vel et perfecta sanitate gaudentibus.

His omnibus igitur perpensis, patefit, *Cretinismus morbum esse hereditarium*, quin ideo pronuntiari non liceret, istum *endemicum* longe frequentius occurrere; et modo primario certe per easdem potentias nocentes generatus, per quas et hodie in hominibus sanis ceteroquin natis evoluitur.

Cretinismus enim, qua morbus generis humani, ad illud ita se habet, ut quivis alius morbus: etenim oritur sub iis influxibus, qui ei maxime favent, praecipue si constanter et diutius in corpus adhuc infantile agunt, quod tenerum et molle potentiis externis

fortiter reagere non valet. Sic invenimus in vallibus istis profundis parentes, corpore et animo sanos vigentes, qui, locis istis ex quacunque causa petitis, nonnisi cretinos non quidem generabant, sed educabant.

Cum sat saepe, et sat longe in angustis et profundis, a peregrinantibus haud quaesitis, Carinthiae inferioris vallibus commoratus fuissem, plures mihi innotuerunt parentes, quos ob ejusmodi commiseratus sum proles. In tali igitur casu certe de dispositione hereditaria sermo esse non potest, et Cretinismus per conditiones endemicas, huic morbo faventes, acquiritur.

Quid autem dein, si cretinus, jam qua talis natus in profunda valle, ibique educatus, cum faemina, eodem morbo adfecta, connubium inicit, atque proles ex isto in lucem veniunt? — Sub hac rerum conditione abnormis infantum *dispositio hereditaria* per influxus endemicos summe infestos rapido cursu evoluitur, intenditur, morbusque tristis altas figit radices, quae vix extirpandae per totam diramantur valem. — Omnibus igitur his bene consideratis *Cretinismus*, ut saltem in vallibus istis angustis, profundis, superius descriptis dominatur, *morbum hereditario-endemicum* declarandum esse censemus.

Quae in praegressis de hujus morbi forma, origine et decursu dicta sunt, satis nobis *Prognosis* et

*Therapiam* dilucidant. In individuis, in quibus Cretinismus ad maximum gradum evolutus est, vix ullum remedium aliquem salutarem proferet effectum; in neonatis ad hunc morbum dispositis, et semicretinis adhuc junioribus, Prognosis aliquomodo faustior erit statuenda. Ad tollendum morbum specifica remedia nobis praesto non sunt, et omne auxilium, quod impertiri possumus, in eo consistit, ut adnatam illam dispositionem ad huncce morbum, ejusque evolutionem per congruum rerum externarum influxum si non delere, tamen minuere conemur. Oportet igitur primo omnes istas causas, quae, uti antea exposuimus, origini et incremento Cretinismi favent, ab infantibus jam amovere.

Neonati hinc ex locis, quae endemicae incolit hic morbus, in illas transferantur altiores regiones, quas aër, ab omni corruptione liber, perflat, et ubi istae nocivae causae vim suam endemicam non exerunt; Porrigantur sugenti mammae nutricis ex integro sanae, omnia adminicula diaetetica in auxilium vocentur, quae aetati et constitutioni infantis conveniunt, et incolat illas salubres regiones, donec aetatem puerilem adsequutus fuerit. Docet quoque experientia, incolas ditiores profundarum *Helvetiae*, *Pedemontiorum*, *Sabaudiae* etc. vallium, hanc legem cum bono successu obsequi. Ulterior educatio evolutionem aequalem et aetati adaequatam corporis et ani-

mi virium suppeditare intendat; hinc cibi carnosi facile digerendi praeferantur vegetabilibus; habitacula sint sat ampla, lucis radiis pervia nec humida; frequens corporis motus, ejusque lotio, mundities strenuo servata, exercitia gymnastica tollendae dispositioni multum contribuunt. Sed et mentis et animi vires congruis stimulis excitare, attentionem eorum intendere oportet, ut animae cultura pari passu cum corporis evolutione progrediatur. Sed caveat educator, ne certos transgrediatur horum remediorum limites, et respiciat adnatam corporis animaeque debilitatem.

Solum ardenti parentum in liberos amori, et indefessae industriae ac circumspeditioni educatoris forsitan contingere potest, ut talis infelix infans, cui natura ipsa jam fatuitatis notam impressit, ex culti hominis gradum aliquomodo sit consequuturus.

### Auctores, qui fusius de hoc morbo scripserunt, sunt.

- Ackermann*, über die Cretinen eine besondere Abart in den Alpen. Gotha, 1790.
- F. E. Foderé*, essai sur le goitre et le Cretinage. a Turin, 1792. Aus dem Franz. übersetzt v. *H. W. Lindemann*. Berlin, 1796.
- Jos. und C. Wenzel*, über den Cretinismus. Wien, 1800.
- A. E. Iphofen*, de Cretinismo dissert. inaug. pathol. Vitebergae, 1804.
- Joseph Joh. Knolz*, Med. Dr. und Professor. Beitrag zur Kenntniss des Cretinismus im Salzburgerischen; in den medic. Jahrbüchern des k. k. österr. Staates. Wien, 1829.

## Theses defendendae.

---

I.

Male sanitati consulit, qui omnes influxus nocivos anxie fugit.

II.

Robur corporis non dependet a volumine masculorum.

III.

Motus extremitatum omnes juxta leges vectium physicas vix explicare possunt.

IV.

Pollutiones nocturnae non semper ad statum morbosum.

V.

Metastasis a metaschematismo, uti et hic a morbo secundario probe distinguendus.

VI.

Uterum gravidum, mortua matre, prolem edere probabile non est.

VII.

Praxis medica non est ars dicenda; sed scientia naturae universalis ad casus morborum singulos applicata.

VIII.

Non est contra naturam, aut non est impossibilitas, ut utrumque organon sexuale in eodem pelvi conjunctum sit.

IX.

Morbi hereditarii revera existunt.

X.

Cretini non propriam sistunt hominum varietatem.

XI.

Sed Cretinismus est peculiaris morbus, et proprius illi debet locus in systemate nosologico.

XII.

Cretinismus probe distinguendus a struma.

XIII.

Nec, ut alii volunt, ex illa evolvitur.

XIV.

In hypochondria et hysteria regimen rationale  
mentis et animi plus valet, ac pharmaca.

VII

---

12

12